



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Lib. III. Decretalium. In quo agitur De Rebus, quae in judicium devenire solent, cujusmodi sunt, de vita et moribus Clericorum, ...

Schlüter, Georg

Augustæ Vindelicorum, 1708

Qvæstio XI. In Tit. XI. De His, Quæ Fiunt A Majori Parte Capitvli.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73045](#)

208 Tract. in Lib. III. Decretal. Quæstio XI.

quia talia munimenta sunt irrita, & falsa; & tu exinde quæstionem falsi poteris merito formidare.

888 Ex istis juribus plures deducunt, actus à Prælato factos, *ie consilio Capituli*, carere firmitate jubi aliqui dieunt per ea verba (*firmitate carere decernimus*) denotari, privationem, & latam sententiam; sic Tiraquel. in L. *si unquam.* (de revocand. donat. V. revertatur. num. 161. & alii, deinde not. quosdam distinguere inter hæc: *de consilio*, & *cum consilio*; volentes primo satisfieri, *audito Capituli consilio*, esto non secuto; hoc est operatione illi non conformata: in secundo autem denotari celebrationem actus pertinere *cumulatively* ad Episcopum, & Capitulum, sic Garcia de benefic. p. 5. c. 4. a. num. 13.

889 Not. 2. quando dicitur, *actum carere*

firmitate, factum sine Consilio Capituli, ubi hoc de jure requiritur, ad evadendam nullitatem sufficere, si consilium Capituli audivit, quin se qui sit necesse, nisi aliud habeat consuetudo legitima; nam, ut dicitur in c. Non est 3. de consuetud. in 6. non est (dum tamen alias sit prescripta canonice) consuetudo, quam allegat Episcopus, probanda, quod in inquirendis, puniendis, & corrigendis subditorum excessibus, consilium sui Capituli, requirere minimè tenetur, neque hoc repugnat honestati, quando adest in contrarium, rationabilis, & justa causa, nec propterea, quod Prælatus Consilium Capituli non teneatur sequi, frustra hoc cauditur; quia, auditis Capituli rationibus, potest Prælatus maturius deliberare; & si suadeant, rationabiliter mentem mutare.

QVÆSTIO XI.

IN TIT. XI. DE HIS, QUÆ FIUNT A MAJORI PARTE CAPITVLI.

890 **T**ria hoc titulo exponenda sunt. 1. quid veniat hic nomine *Capituli*? 2. quæ censeri debeat *major pars Capituli*? 3. qualiter intelligendum veniat, *factum à majori parte Capituli*, *censeri factum à Capitulo*? Procedit autem hic titulus de actis Capituli, quæ pertinent ad negotia, quæ proprie sunt solius Capituli, prout habentis jura distincta à juribus Prælati, qui præst tali Ecclesiæ, Collegio, Communitat, vel Universitat.

ARTICULUS I.

Quid hic veniat nomine Capituli?

891 **C**ommunis responsio est, *Capituli*, nomine, frequentissimè, ac propriissimè venire Collegium Canonorum, seu ipsos congregatos, juxta c. *Capitulum, de Rescript.* Cœterum accipitur pro Clericorum secularium, vel Regularium, qui cum suo superiore tanquam capite, constituunt unum corpus, seu communitatem cum jure tractandi negotia, quæ pertinent ad statum Ecclesiæ ipsorum; Canonici igitur, & Clerici, qui pertinent ad ejus-

modi cœtum, Collegium, vel communitatem, dicuntur *Capitulares*, non tamen omnes, sed de jure communi illi tantum, qui sunt in sacris, saltem subdiaconatu, prout habetur in Clement. Ut i. 2. de stat. & qualit. ord. praeficiend. & Trid. sess. 22. de Reform. c. 4. ibi: *quicunque in Cathedrali, vel Collegiata, seculari, vel Regulari Ecclesia divinis mancipatus officiis, in Subdiaconatus ordine saltem, constitutus non sit, vocem in hujusmodi Ecclesiis in Capitulo non habeat, etiamsi hoc sibi ab aliis liberè fuerit concessum.*

Hoc decretum Concilii procedit in 892 omnibus actibus, qui *capitulariter*, hoc est, *nomine Capituli* expediri debent; Garcia p. 3. c. 4. num. 25. Deinde quando quis *ratione Canonice* vocem habet, non autem, *si alio jure*, vel *privilegio*, sic Portel in dubiis Regular. V. *electione* n. 6. Illa autem verba in textu, *vocem in ejusmodi Ecclesiis in Capitulo non habeat*, accipienda sunt de voce *activa*, quæ simpliciter & absolute *vox* dicitur, non de *passeva*, sic Garcia in addit. ad p. 3. c. 4. n. 15. His addunt aliqui, quod, ut Archidiaconus

conus, ad quem de consuetudine Ecclesiæ spectat (absente Decano) *convocare Capitulam*, in eo proponere, ac resolutiones recipere valeat, vi hujus, actus non indiget, quod sit in sacris; nam iste est actus jurisdictionis, *competens Archidiacono*, etiam non constituto in sacris, nec ad Decanum spectat *ratione ordinis*, sed *antiquitatis*, & *superioritatis*; sic Garcia p. 3. c. 4. num. 26.

893 Præter hæc not. 1. in quæstione, an, *Capituli appellatione*, etiam veniat *Prælatus*? P. Azor. tom. 2. l. 3. c. 37. q. 2. & 3. negare, de *Episcopō*; affirmare, de Decano, Priore, vel *Præposito*: Barbos vero, de *appell.* V. App. 37. (quamvis ex Emmanuele Rodriq. queſt. *Regul.* tom. 3. q. 5. 1. a. 8. dicat, *Capituli appellatione*, in quadam largissima significatione, includi *Prælatum*, faltem in *favorabilibus*) negat cum variis communiter, illum comprehendēti.

894 *Prælatus* autem, ut ex Panormitanō afficit Tamburinus tom. 1. D. 1. q. 1. n. 7. dicitur, quasi *præ aliis dilatis*, vel *ante latus*; quasi ante alias positus. Consonat vox *Antiphēs*: est enim *sacerdos*, sic dictus, eò, quod *ante stat*, c. *Cleros* 21. dīſt. communiter sumitur pro *Episcopo* juxta *Gloss.* in *Clement.* *dūdum de sentent.* Non absimilis vox *Præsul à præfilio* (quod est *ante salio*) erat enim apud veteres primus inter *Salios Martis sacerdotes*.

895 Not. 2. inter *Prælatos* alias esse *Regulares*; quales *Abbates*, *Præsidentes*, *Reformatores*, *Magistri Ordinis*, *Ministri*, *Provinciales*, *Commissarii visitatores*, *Priores*, *Præpositi*, *Majores*, *Quardiani*, *Custodes*; alias *seculares*; quales *Priores*, *Præpositi*, *Decani*, *Archidiaconi*, *Archipresbyteri*, & similes. *Prælatorum appellatione propriæ* veniunt non solum *Episcopi*, & *Episcopo superiores*; Sed etiam alii inferiores *Prælati*, jurisdictionem ordinariam habentes, c. *Romano*. §. *Archidiaconis*, de *Appellat.* in 6. *Rebuffus tract.* de *pacificis possess. num. 64.* & *Puteo decif. 238. n. 3.* Quod *Prælatorum appellatione* veniant *Abbates*, docet *Suarrez de relig.* tom. 4. tract. 8. l. 2. c. 2. n. 23. Quod veniant *Abbates Commendatarii*, maximè *perpetui*, tenet *Ludovicus Gomez in reg. de triennali* q. 5. n. 17. & *Fusius de visit.* l. 2. c. 9. de *Commend.* n. 5. ye.

Tom. III.

nit eriam *Prælatus* immediatus. Unde si debeat dari licentia studendi alicui *Mono-cho à suo Prælato*, intelligitur de *immediato*, ut dicit Feder. *de Senis*, conf. 145. n. 6. & sic de similibus, nisi sicut in oppositum *consuetudo*, vel *constitutio*, ut notat Calder. *conf. 388. alias 3. de Reg.* idem procedit teste *Sanchez L. 6. Decal. c. 7. a. n. 59.*

Not. 3. minus propriæ, & valde fusā si. 896 significatione, *Prælatorum nomine* venire illos, qui in Ecclesia habent prærogativam, & honorificum gradum *sive jurisdictione*; quales *Decani*, *Plebanii*, *Archipresbyteri*, & similes; sic *Gloss. V. Prælatum in Clem. de elect.* & *Prælati appellatione* non venire *Capitulum*, ut tenet *Natta*, conf. 41. num. 4.

Not. 4. *Portionarios*, & similes Clericos in aliqua Ecclesia Cathedrali, vel Collegiata, non esse *membra*, seu partes *Capituli*, licet iisdem Ecclesiis deserviant, intellige *jure communi*; jure enim speciali, privilegio, vel præscriptione oppositum obtineri potest. Hæc tamen omnia intelligentia sunt de negotiis Collegialiter, seu *Capitulariter* expediendis, nimurum *nomine totius*; non *singulorum*.

ARTICULUS II.

Quæ censeri debeat major pars Capituli?

Major pars aliquis communis 897 potest dupliciter dici; primum *major materialiter*, seu numero *precise*; 2. *major legaliter*, seu *Canonice*, nimurum *juxtam majoritatem*, acceptam *ex mente legum*, vel *sacrorum Canonum*; sic in *electionibus*, ubi sunt 12. *Electores* v.g. si unus habeat vota 5. alius 4. tertius 3. qui habet 5. habet *majorem partem* votorum, sed *tantum materialiter*, & respectivè ad alios duos habentes pauciora vota; non tamen habet *majorem partem legaliter*, seu *canonice*, nimurum *majorem partem*, quæ talis sit *absolutè*, ex numero *Electorum praesentium*, prout jure exigitur, secundus est, si ex 12. *praesentibus* haberet 7. vel 8. *illorum vota*, tunc enim haberet *majora legaliter*, quantum est spectato numero votorum. Et quoniam *major pars* dici potest 1. quæ inititur majori rationi, ut dicitur c. *Multis dīſt. 17.* (ubi habetur *ad majorem Sedem recurrentum esse*, si in *subortis questionibus*, inter ipsius Provincia Episco-

Dd

Episco-

210 Tract. in Lib. III. Decretal. Quæstio XI.

*Episcopos, non convenerit, & discrepare coepit ratio) ergo ubi major ratio, huic deferendum erit, ut statuit Pelagius Papa II. dict. c. Author) 2. major quoad Zelum, 3. major quoad nimirum: dubitari potest, an, quando in sacris Canonibus dicitur, in universitatibus Ecclesiasticis prævalere regulariter, *quod sit à majori parte*, intelligi debeat de majori præcise quoad numerum? vel majori quoad rationem, & Zelum? quæ communiter dici solet pars Sanior. 2. quando in regula, vel constitutio- nibus alicuius Ordinis dicitur, *ut censematur electus v.g. qui habet majorem partem*, debeat intelligi de majori legaliter, vel sufficiat major materialiter?*

898 Quid dicendum in materia Electionis? exposuimus l. i. tit. 6. in c. *Quia propter.* 42. ubi dicitur, ut is, collatione habitâ, eli- gatur (electione nimirum communi) in quem omnes, vel major, & sanior pars Ca- pituli consentit, ex quo fit in ejusmodi elec- tionibus *majorem præcisè numerum,* non esse *majorem partem Capituli,* sum- ptam *legaliter;* quamvis communiter, ubi est major numerus *materialiter,* plerumque etiam præsumatur major *legaliter,* seu pars sanior, nisi de opposito con- stet. Licet enim multi dixerint, majorem partem eam esse, quæ pluribus abundat suffragiis, cùm major pars accedit, & con- currit in unam sententiam, c. ult. h. t. c. *quia super. de elect.* (exemplo *Decurio- num.* L. *Nominationum.* C. *de Decur.* l. 10.) alii verò majorem partem agnoscant, non ex numero personarum, sed ex justi- ri, & saniori parte (quod estimandum non est ab his, qui suffragium dant; sed à Supe- riore, causæ cognitionem habente c. *Ecclesia de elect.* c. *Concertationi de appellat.* in 6.) quia tamen perdifficile est, hoc modo agnoscere, quæ sit Sanior, & per consequens *major pars,* habitâ ratione *Zeli, ad Zelum, & justitie ad justitiam,* ideo regulariter major pars dicitur, quæ pluribus abundat suffragiis, sententiaque *numerantur, non ponderantur.* c. fin. h. t.

899 Ut autem major pars agnoscatur, singu- lorumque vota regulenrur, tantum præ- sentes attenduntur: quare dum negotium tractatur in Capitulo ad minus duæ partes adesse debent, L. *multi.* L. *planè ff. quod cujusque univers.* non quia exigatur, ut *duæ partes idem decernant, sed, ut in*

*decernendo adjint duæ partes, que fu- ciunt Capitulum, & Concilium publi- cum, L. *Nominationes.* C. *de appell.* ubi nota in L. *multi,* aliter sumi *Capitulum;* aliter in L. *Nominationes:* ibi enim acci- pitur *pro illo loco,* in quo convenient Claustrales, quo nomine etiam ipsa con- gregatio Claustralium, seu Canonicorum dicitur Capitulum; in priori sensu accipi- tur Clem. ne in agro, de statu Monach. Concilio Aquisgran. can. 69. ibi: mos inolevit, ut per monasteria, Deo devo- ta, legatur lectio in Capitulo, & can. 70. ibi: ut ad Capitulum lectio tradatur; in secundo autem (sicut & in hoc, & priori titulo) accipitur *pro ipsa Congregatione,* seu Canonicorum Collegio, quorum cap- put est Prælatus, & ipsi membra c. *Novit.* h. t. Sodales igitur, seu socii ejusdem Col- legiis (L. ult. ff. de Collegiis) non tamen omnes Clericiunius Ecclesiae, faciunt Ca- pitulum, c. *Dilecta. de excess. Prelat.* Sed tantum ii, quibus Ecclesiae legibus con- cessum est ad exemplum Collegiorum Secularium, quibus id Constitutionibus, & principum rescriptis conceditur, quique communem habent actorem, seu Syndicu- m, & arcam. L. 1. ff. *quod cujusque univer. c. Significavit de appellat.* dict. c. *Dilecta.**

Quoniam verò quandoque, in electionib- 900 us, aliqua religio in legibus suis habet (prout constat ex regulis sacrarum Virginum sub patrocinio s. Ursulæ) quod, *ut electa prodeat, sufficiat major numerus,* seu *major pars,* dubitatum fuit, qualiter hic *major pars* accipienda sit? an, quod sufficiat præcise *major materialiter, & solo numero?* an *major legaliter?* Dicen- dum autem videbarur in electionibus monialium, non sufficiere *majorem respecti- ve,* nec etiam *majorem partem legaliter,* in quantum explicat *majorem partem ab- solutè ex præsentibus,* esto hæc jure com- muni sufficiat in electionibus virorum, ra- tio furnitur ex c. *Indemnitatis.* 43. de elect. in 6. §. *sane.* ubi expresse agitur de electionibus Monialium, & statuit electionem esse confirmandam, que, votis in diversa divis, à duabus partibus nu- mero, fuerit celebrata. Hinc, cùm Paulus V. in Constitutione sua, institutum Ur- sulinarum confirmante, expresse dicat (ut notavimus l. i. tit. 6.) *electiones, que ab illis*

illis sunt semper celebrandas esse juxta Constitutiones Apostolicas; de electionibus mulierum; haec autem, pro electione confirmanda, exigant duas partes consentientes major pars, accepta legaliter, non erit major præcisè numerus in unam consentientium; sed due partes ex tribus seu due tertie, in quas dividitur tota communitas electricum. In aliis porro dispositionibus Capituli, extra materiam electionis, in Concilio lateranensi (ut habet ut c. 1. h. t.) ubi agitur de quæstione, qualiter acta majoris partis de Capitulo prævaleat minori? expresse sermo est, de voluntate plurium, & saniorum fratum, prout exponemus in seq.

ARTICULUS III.

Qualiter intelligendum veniat, factum a majori parte Capituli, censeri factum a toto?

901 **D**ehoc Concilii Lateranensis, ut notavimus, constitutio sic loquitur: *cum in cunctis Ecclesiis, quod pluribus, & fratribus visum fuerit, in cunctis anterior debeat observari*, grave nimis est, & reprehensione dignissimum, quod per quasdam Ecclesiæ paucis quandoque, non tam de ratione, quam propria voluntate, ad ordinationem Ecclesiasticam procedere non permittunt. Quocirca, præsenti decreto statuimus, ut, a paucioribus, & inferioribus aliquid rationabiliter objecum fuerit, & obfusum (appellatione remota) prævalent semper, & suum consequatur effectum, quod a majori, & Saniore parte Capituli fuerit Constitutum; non constitutionem nostram impediat, si forte aliquis ad conservandam Ecclesiæ sua consuetudinem, se juramento dicat ad strictum; nec enim juramenta, sed potius perjuria sunt dicenda, qua contra utilitatem Ecclesiæ, & sanctorum Patrum veniunt instituta; *si quis autem hujusmodi consuetudines, quæ nec ratione juvantur, nec sacris congruent institutis, juvare præsumperit (donec dignam egerit pœnitentiam) a perceptione sit dominii corporis alienus.*

902 Deinde in simili materia Innocentius III. prout habetur c. fin. cod. sic loquitur: *ex parte tua nobis fuit, Frater Archiepiscope, intimatus, quod ad restaurandam fabricam Rothomagensis Ecclesiæ tractatum*

Zom. III.

communiter habuisti, te postulante, ut quilibet Canonorum tecum pariter aliquam suorum reddituum portionem, operitam pio, & necessario, deputaret; statuimus, ut, si quis vestrum, Frater Archiepiscope, & majoris, & Sanioris partis Capituli statutis, super hoc duxerit resistendum, obtineat sententia plurimorum.

Ex his iuribus deducitur, sufficienter verificari faciendum, quod consenserit Capitulum, (cetero non consenserint omnes) sed solum major, & Sanior pars Capituli, per c. 1. h. t. ibi: *prævaleat semper, & suum consequatur effectum, quod a majori, & saniore parte Capituli fuerit constitutum*; hoc tamen intellige, nisi aliud habeat locale statutum, consuetudo legitima, seu alia specialis constitutio requiriens v.g. pluramedietate (quo casu sufficiunt 13. ex 24.) vel expressè, ex tribus duabus partes, quo casu non sufficiunt 14. ex 24. quamvis sufficerent, si requireretur tantum major absolute ex presentibus de Capitulo. Siautem queras, quid dicendum in eo casu de consensu minoris partis? R. quod tali casu nihil operetur, cum decisio sit penes Saniores, & maiores. Si autem minor pars, vel etiam unus contradicat ex causa rationabili, conclusionem majoris, & Sanioris partis impediatur. cit. c. 1. h. t. Nec obstat, quod pro majori parte sit presumptio juris; quia non est juris de jure, ut probationem in contrarium excludat.

Ut autem ritè habeatur consensus Capituli, duo requiruntur, 1. quod omnes, qui de collegio sunt, sint vocati. 2. quod consentiat Sanior simul, & major pars, ut unū sine altero non sufficiat. c. 1. h. t. spectato tamen jure communī, ordinariè, ac generati loquendo ad tractatus, vel alias actus Collegii, aut universitatis, non necessariò vocandi, vel expectandi sunt absentes; Glossa communiter recepta inc. 2. de testib. in 6. V. *Ipsorum*. Excipe tamen 1. electionem Prelati. c. 24. de Elec. 2. negotia ardua, & magni momenti; cum non est periculum in mora. Abbas in c. 1. h. t. n. 15. 3. Si quid statuendum esset in singulare præjudicium absentium; *Glossa in cit. c. 1. V. Constitutum.* 4. nisi contrarium exigat consuetudo legitimè præscripta. arg. c. fin. de const.

Illud etiam hic queri potest, an quilibet

Dd 2

de

212 Tract. in Lib. III. Decretal. Quæstio XII.

de Capitulo, ei, quod cœteroquin major, & senior pars conclusit, contradicere possit: & quod sic, si viderit, rem à majori parte conclusam, vergere in damnum Ecclesiæ; ne scilicet tacendo videatur illud approbare, & de alieno peccato partici^{re} ire. L. de ætate. §. qui tacuit. ff. de interrog. in jure faciend. si tamen, quod opponit, non rite probaverit, imponitur ei silentium, & quod major pars statuit, habet executionem per c. Ex ore. 3. h.t. Quamvis autem hic textus in c. Ex ore, per rubricam sic exprimatur, quod communis ordinatio Ecclesiæ, per contradictionem, & appellationem ejus, cuius non interib, impediti non debeat; videretur tamen non congrue textui; nam contradictor in hoc casu fuit Benignus, cuius patens impetrat literas Apostolicas, pro Præpositura

Augustana ipsi conferenda; erat Canonicus Augustanus, qui jus habeat in electio- ne Præpositi non minus, quam reliqui Ca- nonici, & utique illius intererat, ne per elec- tionem alterius Præpositi, gratia sibi à Pontifice facta, interverteretur. Videatur tamen rectius ita summar, ut sensus sit, sententiam, sive fidum totius Capituli, vel majoris partis, non impediri, per con- tradictionem, sive reclamationem unius, rationabilem causam non habentis, qua- lem non habebat iste Benignus, utpote, cu- jus investitura erat Cassata per Coelestium, (postquam forte intellexit, Præposituram Augustanam esse electivam) & qui per reverentiam Præposito electo factam, censem- batur juri suo renuntiass̄, de qua tacita renuntiatione. V. Rebuff. in tr. de nominat. q. 1. num. 9.

QVÆSTIO XII.
IN TIT. XII. UT ECCLESIASTICA BE-
NEFICIA SINO DIMINUTIONE CON-
FERANTUR.

906 **H**ic titulus constat c. unico, & quamvis Rubrica tituli, tanquam summa in nigro, seu textu con- tentorum dicat (in eo statui, be- neficia Ecclesiastica integrè, ac sine di- minutione conferenda esse) videri tamen posset, nigrum rubro non multum corre- spondere, ut patebit legenti totum c. uni- cum; & notat Wagnerek in Exegesi ad dict. c. retinenda tamen est summa, & sufficien- ter probari potest, concordare cum nigro, ut ostendemus in seqq.

ARTICULUS I.

An Collatores beneficiorum Ecclesiasti- corum teneantur beneficia conferre sine diminutione?

907 **H**oc est, non reservando sibi, vel alteri fructus eorum; non imponendo pen- siones; non dividendo illa, vel supprimendo, aut aliis uniendas? &c. procedit autem quæstio non tantum de Collatoribus stri- ðe (qui scilicet habent liberam collatio- nem) sed etiam iis, qui præsentant, vel in- stituant, vel aliam quamlibet provisionem, seu modum, per quem providetur de bene-

ficio, ut notat Rebuffus in praxi benefic. de forma vicariat. a. n. 49. & tit. dispensat. atatis. V. Conferantur. Garcia de benefic. p. 1. c. 6. num. 32.

Resolutio hujus quæstionis videretur col- ligi posse ex dict. c. unico, h. t. nam, cum Archiepiscopus Mediolanensis tandem fassus esset, quod Cancellarium contulisset (esto prius negasset) retentis sibi fructibus, de hoc Pontifex (nominans hoc in ho- nestatem facti) sic loquitur: omnibus ergo auditis, te in tribus competrimus fuisse culpabilem; ac enumeratis prioribus binis (nimurum contrarietate responsi, & car- nalitate animi) subjungit: & circa in- honestatem facti, nempe collationem, retentis fructibus: quia non licuit eà pa- zione, vel conventione quacunque, sub modo, vel tenore præscripto concedere nuadum officium, & tibi retinere proven- tus: cum in Lateranens. Concil. prohibi- tum sit, ne quis conferendo Ecclesiasticum beneficium, partem proveniuntum suis usibus retinere præsumat; & alibi cautum reperiatur in Canone, quod Ec- clesiastica beneficia sine diminutione de- beant conferri. Unde credimus disting- endum,